

PARS II.

DE ORDINE SUPERNATURALI

CAPUT I.

NOTIO ORDINIS SUPERNATURALIS

Thesis XXX.

Ex historia dogmatum constat Patres et Theologos ipsamque Apostolicam Sedem per dogmatica decreta distinxisse bona, quae hominibus a Deo collata creduntur, tum in ea bona, quae naturalia sunt ac debita, tum in ea, quae supernaturalia, indebita, gratuita appellantur.

I. Patres plura dona recensent quae per Christum accepimus, cuiusmodi sunt *sanctificatio, participatio spiritus, divina forma impressa nobis, filiatio divina, visio beatifica*. Haec autem bona Patres α) vocant *supra naturam*, opponunt *naturae, conditioni servili naturae*, quae quidem conditio servilis inest naturae eo quod est creata. Ita Cyrillus Alexand. in Ioan. L. I. in c. 1. v. 42. docet quod per Christum ad dignitatem *supra naturam*, ὑπὲρ φύσιν evecti sumus, adeo ut qui *natura* censemur *effecta servaeque creatura peponymenη και δουλη κτισις*, iidem *supra naturam* et per *gratiam*, secundum imitationem, nanciscamur praestantiam filiorum Dei. Tum ait in v. 43. nos vocatos in adoptionem filiorum, exuta propriae naturae vilitate, *gratiae patrocinio* ad supernaturalem dignitatem elevari, atque in hac elevatione quod a Deo alienum est servilisque conditionis ad Dei naturae prope consortium adduci. Cyrill. hieros. Catech. 7. « Neque enim, ut ex Patre, qui in caelis est, naturaliter geniti, Patrem ipsum vocamus, sed a servitute in adoptionem Patris gratia per Filium et Spiritum S. translatis ineffabili bonitate ita dicere conceditur. » Athanasius cont. Arian. or. 2. † Deus non solum homines eos fecit, sed et filios dixit, tanquam si illos genuisset.... Nec alio modo possunt filii fieri, quum ex na-

tura sua sint creati, nisi Spiritum eius qui est naturalis et verus Filius, acceperint. »

β) Hinc dona haec vocantur a Patribus *adscititia, extra substantiam* eorum quibus conferuntur, ἐξωθεν της οὐσιας, ita ut illam praeter suspensus dignitatem perficiant. Basilus sic commendat dona Angelis collata, quae sunt ontologicae eadem ac ea quae nos donati sumus, ut in Lib. de Spiritu S. doceat Angelos non natura sanctos esse, sed sanctificationem, quae extra ipsorum substantiam est, perfectionem illis afferre per communicationem Spiritus: « Merae et intelligibiles virtutes sanctae tum sunt, tum nominantur, ex gratia per Spiritum Sanctum sanctimoniam nactae. Sanctificatio non est absque Spiritu. » Similia habet Damascenus L. II, c. 3. qui angelos ait « sanctificationem ἐξωθεν της οὐσιας a Spiritu Sancto habere. » Quapropter Nazianzenus disputans Orat. 36. contra Arianos, eorumque dissolvens argumenta ex Scriptura petita quibus Dei Filius in creaturarum numero recensendus ipsis videbatur, « quintum, ait, numeretur, quod vitam, aut iudicium, aut gloriam, aut discipulos, ceteraque eiusdem generis, accipere dicitur. Haec quoque ad humilitatem (nempe naturam humanam) spectant. Quamquam ut haec etiam Deo tribuamus, nulla inde absurditas consequitur. Non enim velut *adscititia* ὡς ἐπικτητα ei tribuimus, sed velut quae a principio ipsi simul cum Patre adhaerent non ratione *gratiae* sed *naturae*. » Opponuntur ergo bona *adscititia*, et bona quae adsunt ratione naturae, quae nimirum debentur naturae; quae autem nobis per Christum conferuntur, sunt *adscititia*, ut Cyrillus Alex. ibid. ad v. 9. testatur his verbis: « Dei quidem Verbum substantialiter lux est non participatione per gratiam, neque veluti per accidens illam in se habens dignitatem, aut *adscititia* ἐπικτητων tanquam gratiam, sed naturae immutabilis fructum immutabilem, et inconcussum bonum ex Patre perfines ad substantiae Patris haerodem. Creatura vero neutiquam eo modo lux erit, ut non habens accipit, illuminatur ut tenebrae, *adscitiam* habet gratiam et dignitatem ex humanitate largientis. »

γ) Patres propterea *negant* huiusmodi *bona esse naturalia*, in potestate naturae. Prosper adv. Collat. c. 23. Cassianum reprehendit quod asseruerit « religiosas cogitationes et sancta consilia de naturali posse prodire sapientia. » Clemens Alex. Strom. L. II. « Est in nobis copia Dei misericordia, qui nihil ad eum attinens vel essentia, inquam, vel natura, vel propria nostrae essentiae facultate, sed eo tantum quod simus opus eius voluntatis. Atque adeo eum, qui sua sponte cum exercitatione et doctrina cognitionem accipit veritatis, vocat ad adoptionem, quae est maximus omnium pro-

fectus. » Fulgentius De Incarn. et grat. c. 24. « Ita fit ut homo fidem habere possit, sed eam nisi ex dono Dei habere non possit. Non enim consequens est, ut omnia quae habere possumus, etiam ex nobis habere possimus. » Basilium in Paol. 33. « Non in potestate hominis ἐν δυνάμει ἀνθρώπου aut in sapientia eiusdem, sed in gratia Dei consistit salus. » Patres Synodi Arausicanae 2. c. 7. « Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari idest evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu. »

Quo factum est ut Patres eadem dona δ) appellent simpliciter *gratiam χάριν, χάρισμα, collata κατὰ χάριν, κατ'ἐλογὴν Dei*; quemadmodum iam andivimus; quibus addi potest Hieronymus, qui in Dialogo adversus Pelagianos principii loco ponit: » perfectionem hominis non ex natura sed ex gratia provenire. » Patres Concilii Francofordiensis: « Adoptivus dici non potest, nisi is qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus, et gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio praestatur. » Hinc, etsi Patres concedant posse certo quodam sensu quae naturalia sunt vocari gratiam, accurate tamen distinguunt inter gratiam creationis qua homines sumus, et gratiam iustificationis qua Christiani sumus; atque hanc proprie gratiam appellari volunt. Augustinus in epist. 178. ad Innocentium: « Elsi quaedam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ... alia tamen est qua praedestinati vocamur, iustificamur, glorificamur... Hanc apostolica doctrina gratiam non immerito isto nomine appellat... Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen si ita appellatam in ulis legitimis, propheticis, evangelicis apostolicisque literis legimus. »

ε) Patrum quoque doctrina est bona huiusmodi amitti posse integra natura, secus ac ea bona naturalia quae substantialiter nobis insunt. Cyrillus Alexand. adv. Anthropomorphitas c. 3. docens verba: *ad imaginem Dei factus est homo*, accipienda esse de forma, quam adepti sumus secundum virtutem et sanctificationem, ait: « quod vero ita potius intelligendum sit, hominem ad imaginem Dei esse factum, docuit etiam sapientissimus Paulus ad Galatas ita scribens: Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Formatur enim etiam in nobis per sanctificationem, quae est per Spiritum, per vocationem Fidei in ipsum. Porro in transgressoribus fidei effligies illa non elucet integre. Idcirco alio

partu indigent, spirituali nimirum et intellectuali regeneratione... At si in humani corporis natura simul et facie situm esset, factum esse ad imaginem creatoris, quo pacto fieri posset, ut in aliquo homine ea similitudo deperiret? Nihil enim amissum eorum quae substantialiter nobis insunt. Cum autem nos sanctificatio et insititia in Deum transformat, eos qui non amplius virtuose ac veluti in sanctitate vivebant, dicimus hanc adeo venerandam et eximiam pulchritudinem amisisse. » Dionysius Div. Nom. c. 4. loquens de dotibus naturalibus angelorum ait « nec vero quidquam eorum, quae sunt, interit, quatenus essentia est et natura... Neque dicimus angelicas dotes, quas acceperant, penitus nunquam fuisse immutatas, sed etiamnum (post lapsum) integras esse, planeque conspicuas. »

ζ) A Patribus tandem huiusmodi bona his nominibus honestantur ut sint *deificatio, θεωσις, assimilatio et unio cum Deo, ἀφομοιωσις και ἑνωσις προς Θεον, familiaritas cum Deo, οικειωσις Θεω*, hominesque proinde, qui secundum naturam servi sunt Dei, sint *Dii secundum gratiam, θεοι κατὰ χάριν*. Cyrillus Alex. L. VI, in Ionn. III, 47. ait « Ex Deo dicit, qui ob virtutem et sanctam vivendi rationem Deo conciliatur, et quasi propinquitate eius dignus habetur, quatenus tales etiam dignos iudicat qui in filiorum suorum numerum adsciscantur. Ergo qui ex Deo est, promptissime divina verba susceperit, fere enim quod familiare et cognatum est diligit. » Basilium De Spiritu Sancto c. 9. dona enumerans quae a Spiritu Sancto accipimus, haec habet: « hinc gaudium nunquam finendum, hic in Deo perseverantia, hinc similitudo cum Deo, et, quo nihil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias. » Epistola autem CXXI. homines ait secundum gratiam vocari Deos. Athanasius De Incarn. Verbi: « Filius humanam assumpsit naturam ut nos dii efficeremur. » Damascenus L. II, c. 12 « Deus hominem creavit accessu ad Deum deificandum, deificatum vero participatione divinae illuminationis, non vero in essentiali divinam mutatum. » De hac Deificatione lege Dionysium De Eccl. Hier. c. 1. Iam vero iste loquendi modus significat bona, quibus ea deificatio continetur, supernaturalia esse, gratuita, indebita naturae humanae. Posito enim essentiali discrimine, infinitaque distantia humanam inter naturam et Deum, qui dicit hominem per quaedam dona deificari, significat necessario dona excedentia naturae vim et exigentiam, per quae natura extra se quodammodo fertur, ut Deo appropinquet. Nisi haec intelligantur, inanis est sensuque caret ea appellatio Deificationis, quae excessum quendam ontologicum per accessum ad Dei perfectionem significat. Fac enim ea bona esse naturalia, viribus naturae proportionata ac debita: per ea profecto homo non deificatur, ma-

net enim homo, et nihil aliud. Hinc Patres deificationem per gratiam fieri dicunt.

Haec omnia si conferantur, manifestum erit e sententia Patrum alia esse bona quae dicuntur *natura*, ad *naturam spectantia*, in *potestate naturae*, quae *amitti nequeunt integra natura*, quae *cum creatione necessario connexa sunt*, quae *conditionem servilem non excedunt*: quae *minus proprie appellantur gratia*; atque alia e contrario esse bona, quae dicuntur *supra naturam*, *gratia*, quae *non sunt in potestate naturae*, *sunt extra substantiam eorum quibus conferuntur*, quae *ad gratiam spectant iustificationis*, *proprieque nomine gratiae coherantur*, quae *amitti possunt integra natura*, quibus homo *ad deificationem quamdam elevatur*: bona vero secundi ordinis a prioribus distingui propter diversam habitudinem quam utraque dicunt ad naturam; distingui proinde secundum essentiam suam propriam, qua utraque bona constant.

II. Quod a Patribus traditum acceperunt uberius etiam Theologi explanarunt. Distinguunt enim duplicem ordinem *naturalem* et *supernaturalem*. Porro *naturalis* ordinis appellatione complectuntur tum quicquid necessario connexum est cum rerum essentis et ab iis dimanat, atque ab iis exigitur, earumque dignitatem et conditionem non excedit. *Supernaturalis* vero nomine illud designant quod excedens conditionem et dignitatem, vim et facultatem naturae, amicitiam cum Deo, divinamque adoptionem beatificamque visionem vel constituit, vel cum iis sive ut effectus sive ut medium cohaeret. Cum id multipliciter constare possit, satis erit pauca et certa innuere. Itaque huc facit *distinctio* quam statuunt *inter debitum et indebitum* naturae. Thomas I, p. q. XXI, a. 1. « In nomine debiti importatur quidam ordo exigentiae, vel necessitatis alicuius, ad quod ordinatur... Debitum attendi potest dupliciter in operatione divina: aut secundum quod aliquid debetur Deo, aut secundum quod aliquid debetur rei create... Debitum est alicui rei create, quod habeat id quod ad ipsam ordinatur, sicut homini quod habeat manus, et quod ei alia animalia servant. » In 1. 2. vero q. CXI. a. 1. ad 2. hoc docet « Dicendum quod *gratia secundum quod gratis datur, excludit rationem debiti*. Potest autem intelligi duplex debitum: unum quidem ex merito proveniens quod refertur ad personam, cuius est agere meritoria opera... Aliud est debitum secundum conditionem naturae, puta si dicamus debitum esse homini quod habeat rationem et alia quae ad humanam pertinent naturam... Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito, sed *dona supernaturalia utroque debito carent*; et ideo specialius sibi nomen gratiae vindicant. » Huc facit praeterea quod gratiam

appellabant veteres Theologi donum superadditum, ultra naturae statum, facultatem naturalem excedens, supernaturale complementum creaturae, naturam elevans, dignitatem naturae excedens. S. Thomas De Veritate XXIV. a. 14. ad 14: « Si gratiam Dei velimus dicere non aliquid habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam *interius motum mentis operatur*, et exteriora ordinat ad hominis salutem, sic nec illum bonum potest facere homo sine gratia Dei. Sed communiter loquentes utuntur *nomine gratiae pro aliquo dono habituali iustificante*. » Idem porro in 2^o. D. XVI, q. 4. a. 3. ait. « Cum nullius operatio supra facultatem naturae operantis extendatur, oportet quod, si operatio alicuius supra id, quod naturaliter potest, extenditur, quod etiam *natura quodammodo supra seipsum elevetur*... Oportet ergo quod primum donum, quod gratis homini infunditur, hunc habeat effectum, ut ipsam essentiam animae in quoddam divinum esse elevet, ut idonea sit ad divinas operationes; et ideo, quia unumquodque simpliciter dicitur quod per prius dicitur, sicut substantia ens, ideo tale donum quod *essentiam animae nobilitat*, principaliter *gratia* vocatur. » S. Bonaventura pariter in 2. d. XXIX. a. 1. q. 1. « Quod Deus immensus habitare velit in anima ut in templo, quod iterum velit *servum repulare pro filio*, quod *ancillam suam assumere velit in coniugem*, hoc nemo dubitat esse *merae gratiae et condescensionis liberalissimae*. Creaturae etiam *sublimatio* in tali acceptance *ultra statum naturae* reperitur. Quod enim creatura consecratur in templum, adoptetur in filium, assumatur in coniugium, hoc est supernaturale complementum omnis creaturae; et ideo nec consecratio, nec adoptio, nec unio animae ad Deum fit per aliquam proprietatem naturae, sed *per aliquod donum gratiae superadditum*.

Ex doctrina igitur Theologorum habemus duplicem seriem bonorum accuratissime distinctam, alteram iis contentam, sine quibus natura esse nequit, quae natura exigit, quae natura viribus suis assequi potest, quae cum dignitate, conditione naturae cohaerent, neque ipsam elevant ad superiorem statum; alteram vero iis contentam sine quibus natura esse potest, quae a natura non exiguntur, quae naturae facultates excedunt, quae sunt ultra conditionem et dignitatem naturae, eandemque elevant ad superiorem statum. Ergo.

III. Tandem Romana Sedes, proscriptis pluribus erroribus, doctrinam Patrum et Theologorum apertissime confirmavit. Cf. damnatas propositiones Michaelis Baii, Quesnelli, et Synodi Pistoriensis; plurium enim ex his proscriptione vindicatur distinctio duplicis ordinis naturalis et supernaturalis, debiti et gratuiti, quam Patres et Theologi asseruerunt. Quasdam retulisse sufficiat. Ex propositioni-

bus Bani damnatis 21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est non supernaturalis. 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, et Caritate Deum supernaturaliter coleret. 24. A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad pelagianismum reii-cienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate creatoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus. 26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio. Ex propositionibus Quesnelli 35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae. 37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei.

Cf. ex propositionibus damnatis Synodi Pistoriensis 46. et 47.

Porro ex his omnibus id certe colligere licet auctoritate universae traditionis duplicem esse bonorum seriem nobis a Deo collatorum, aliorum nempe quae sunt secundum naturam, et aliorum quae sunt supra naturam. Id vero est quod hac thesi demonstrandum suscepimus.

Thesis XXXI.

Seposita significatione vocis naturale prout significat sive id quod originem aut natiuitatem comitatur sive id quod naturae conueniens est: naturale sensu pressiore dici solet tum id quod essentiam rei constituit, tum magis proprie id quod ad essentiam sicc naturam rei necessario consequitur, atque id quod a natura exigitur ne ipsa eiusque vires frustra sint: quodque continetur ordine earum rerum quae a natura, ne frustra sit, exigitur, atque id proinde ad quod est potestas actiua in natura, et quod idcirco aliqua natura ab alia pati potest. Quapropter supernaturale proprie illud est, quod perfectio quidem est, attamen nec essentiam aut naturam rei, cui inest, constituit, neque ex essentia aut natura eiusdem necessario consequitur, neque ab ea exigitur ne ipsa eiusque vires frustra sint, neque ordine earum rerum continetur, quae a natura, ne frustra sit, exigitur: neque proinde est in potentia actiua naturae, neque in passiva alicuius naturae comparata cum aliis viribus creatis.

I. Quaestio duplex esse potest, 1) quaenam sit propria et specifica ratio boni supernaturalis, 2) quid sit illa res cui haec ratio competit. Modo non hanc alteram, sed priorem versamus quaestionem. Si quaeris conceptum confusum sed verum boni supernaturalis, in notione eius profecto habes haec duo. 1. negans, quod scilicet non sit naturale, 2. affirmans, quod sit supra naturam et naturalia, haec nempe perfectione sua excedens. Rationem vero propriam et distinctam boni supernaturalis duplici via investigarunt Theologi. Considerantes enim quod per dona supernaturalia natura humana supra se eleuatur, ut Deo speciali modo coniungatur, quidam supernaturalis rationem derivandam putarunt a termino ad quem; nempe censuerunt investigandam eam esse in ea habitudine similitudinis et propinquitatis quam supernaturale bonum cum Deo habet. Quidam contra potius supernaturalis boni rationem desumendam esse arbitrati sunt a termino a quo; nimirum inquirendam eam esse censuerunt in ea habitudine oppositionis sive excessus quam supernaturale bonum habet ad naturam creatam. Cf. Franciscum De Lugo Theolog. Scholast. L. I. D. 7. c. 1. Nobis hac altera tantum methodo uti licet; quam ipsa quoque etymologia nominis suadet, quod

ex habitudine oppositionis sive excessu ad naturam appellatum est. Et id libentius praestamus, quoniam hac methodo in declarandis bonis supernaturalibus usi sunt frequentissime Patres et Theologi.

II. Itaque ut quid sit supernaturalis rite dignoscatur, principio videndum est quid sit naturale, ad cuius notionem via munienda est per explicationem termini *natura*. Iam vero 1) *natura etymologicè* dicta a nascendo, nativitatem, originem significat, ut illud ad naturam pertinere dicatur, quod cum origine est consertum. (Aug. Retra. L. I. c. 45. Aristoteles. Metaph. L. V. c. 4.) 2) *Natura* solet item aliquando sumi pro essentia rei. 3) Pressius *natura* dicitur substantia prout est principium actionis, et subiectum capax passionis. Omnis autem substantia est natura aliqua. *Natura* tandem 4) dicitur complexus omnium substantiarum creaturarum, sive virium, quibus invicem agere eae possunt.

Naturale, quod est nomen a *natura* derivatum, illud generatim significat quod ad aliquam naturam refertur, est nempe nomen relativum. Porro *naturale* comparatum cum aliqua natura, cui *naturale* dicitur, multipliciter et ipsum sumitur. Spectetur nunc speciatim *natura* rationalis, sive intelligens, ad quam *supernaturale*, de quo quaestio est, speciatim refertur. Itaque cum *natura* a nascendo sit dicta, *naturale* 1) dicitur *quod nativitatem vel originem comitatur*. *Naturale* 2) dicitur quod est naturae conveniens, opponiturque ei quod est *contra naturam*. Haec autem duo dicimus sepouenda esse; quia ad notionem informandam *supernaturalis* conducunt nihil. Nam prima exprimit tantum factum, non ullam essentialiam aut necessariam relationem rei, quae dicitur *naturalis*, ad naturam; ideoque ex ea conceptus essentialis του τι ήν ειναι *supernaturalis* colligi nequit. Demonstrabimus autem paulo post haec duo prorsus copulari posse, aliquid nempe esse *supernaturale*, et originem comitari. Altera vero significatio et ipsa inutilis est nobis propter eius amplitudinem seu indeterminatorem; nam et *supernaturale*, si quod est, cum natura perficitur, conveniens illi esse dicendum est. Pergamus igitur ad alias vocis huius *naturale* significaciones, sive ad alia quae dicuntur et sunt naturalia.

3) *Naturale* dicitur, *quod essentiam rei constituit*, ut ratio in homine; id vero potius *natura*, quam *naturale* dicendum est; *naturale* enim proprie significat id, quod naturae accedit et habet ordinem ad naturam. 4) *Naturale* dicitur quod ad *essentiam rei necessario consequitur, vel consequi concipitur*, cuiusmodi sunt quaedam proprietates et vires, quoniam hae, spectatae re ut in se est, sint ipsa essentia vel natura. Quoad utramque hanc tertiam et quartam significacionem vocis *naturae* et *naturale* adverti potest quod

cum omnis res, quaecumque sit, suam habet essentiam, quae et *natura* dicitur, et ea quae consequuntur ad illam, hinc appellatio *naturae* et *naturalis*, in ordine quoque *supernaturali* bonis habet; atque ita qui credunt, ut credendum est, gratiam esse *supernaturalem*, loquuntur de natura gratiae, et de naturalibus proprietatibus eius. Attamen negari nequit esse duas res prorsus diversas eas, quae in mutua oppositione dicuntur altera *natura*, altera *supra naturam*. Ut ergo aequivocatio vitetur, advertendum est *naturam* haec a nobis dici eam quae substantia est, et subiectum eorum quae insunt, *naturalia* autem dici ea quae necessario naturam consequuntur.

5) *Naturale* magis proprie dicitur id quod est a natura distinctum, atque est id quod a natura exigitur, ne ipsa eiusque vires sint frustra, sive ne sit frustra ille certus perfectionis gradus, quo natura aut eius vires constant. Huc revocari possunt omnia naturalia, quae quomodocumque distincta sunt a natura. Sic naturalis est finis, eiusque assecutio, cum natura rite operatur. Naturalis est integritas organorum, ut vires se exercere possint; naturalis est Dei concursus, sine quo actio est impossibilis; naturalis est operatio aliarum causarum, quae necessariae sunt ut vires agere possint. Naturalia sunt obiecta facultatum, eorumque assecutio; naturales, cum activitas exercetur, sunt termini activitatis, illud nempe est naturale quod fieri potest per vires proprias; naturalia sunt ea subiecta, in quae vires suas natura exercere potest et debet. Naturalis est coexistentia et societas cum aliis eiusdem perfectionis sive specifice sive genericae vel inferioris perfectionis, sine quibus vires quaedam, vel gradus quidam virium explicari non possent. Tandem naturalis est coexistentia cum entibus superioribus, et generatim naturale est subiecti aliis causis et ab iis id recipere, cuius propria passivitas est capax, et quod ipsae causae secundum vires proprias efficere possunt, ut corporibus naturale est ab Angelis moveri. Hinc patet *naturale* latius patere quam *essentiale*.

III. Illud autem sedulo advertendum est circa ea quae a natura exiguntur, ne ipsa eiusque vires sint frustra. Scilicet ea exiguntur ratione suae perfectionis quam habent; perfectio autem ad genus vel speciem rerum spectat; quia vero nequit esse genus nisi in speciebus, et species nisi in individuis, eo ipso individua exiguntur, quae non possunt esse nisi in aliqua multitudine determinata. At quoad certam determinatam speciem vel individuorum multitudinem indifferens est illa natura quae exigit ipsa: atque est in potestate auctoris naturae plura vel pauciora individua condere. Ita natura animalis exigit ea, quae cibis eius esse possint; at quod sint tot species alimentorum, totque individua in singulis speciebus, id natura non

exigit, neque hanc determinatam speciem, aut haec determinata individua exigit. Attamen eo ipso quod aliqua species eius generis et aliqua individua alicuius speciei exiguntur, omnes quoque eae species, omniaque individua quotcumque sint, sunt naturalia, quia in eo ordine perfectionis continentur, quae exigitur a natura. Quare exuberans multitudo eorum, quae pulchritudini et decori universi conducere potest et ad melius esse aliorum, est quidem effectus liberalitatis auctoris naturae, non vero aliquid supra naturam.

Illud quoque est advertendum, quod quaedam licet a determinato individuo naturae non exigantur, exigi tamen possunt a natura illius individui universim spectata, vel a collectione plurimum individuum illius naturae. Quod vero huiusmodi est, quamvis non exigatur ab aliquo individuo determinato, ita tamen est comparatum, ut in quovis individuo sit potestas plus minus proxima ad illud. Huiusmodi autem est naturale.

Iam vero liquet omnia haec, quae enumeravimus ultimo loco sub num. 3., revocari posse ad potentiam activam et passivam naturae. Quidquid enim exigitur ne natura, eiusque vires frustra sint, vel exigitur ut terminus suae activitatis, vel ut complementum suae capacitatis. Quia vero capacitas multiplex esse potest, ea est capacitas naturalis, cuius complementum vel exigitur a natura, ne ipsa eiusque vires sint frustra, vel est terminus, quem exigunt aliae causae in ea posse facere, ne et ipsae earumque vires sint frustra.

Quare tandem ut notio completa eorum quae sunt naturalia habeatur, spectanda est universa natura; nam quod potest una natura in alia natura facere, illud est simpliciter naturale. In hac autem consideratione accurate distinguenda est potestas activa a potestate passiva naturae. Non enim quidquid potest natura recipere vel a Deo, illud est naturale; hoc enim posito tolleretur possibilitas boni supernaturalis. Sed quoad potestatem passivam illud naturale dicitur, ut modo monuimus, quod exigitur ne natura eiusque vires frustra sint, vel ne frustra sint aliae naturae, quae potestatem activam habent complendi eam capacitatem.

Ex hac autem analysi hactenus instituta patet naturale comparatum cum universa natura illud esse, quod vel naturam aliquam constituit, vel ad aliquam naturam necessario consequitur, vel ab aliqua natura vel a pluribus vel ab omnibus exigitur, ne ipsae, earumque vires frustra sint, et quod potest ab aliqua natura in alia effici, quodque continetur ordine earum rerum, quae a natura exiguntur.

IV. Supernaturale opponitur naturali non quidem contradictorie sed per excessum oppositione contraria. Utrumque naturam supponit

cui insunt, sed naturale ordinem naturae non excedit, quia est secundum exigentiam eius; supernaturale vero excedit eum ordinem, quia est supra exigentiam naturae. Porro opponitur supernaturale naturali, prout hoc relationes ad naturam non in facto tantum positas, sed essentialiter significat. Ut autem accuratius et distinctius procedamus, distinguendum est inter duo. Primo enim aliquid supernaturale dicitur, quia actio qua fit est supernaturalis h. e. non est a natura sed ab auctore naturae praeter et supra ordinem naturae, licet terminus actionis sive id quod fit sit naturali par, ut sanitas miraculose restituta. Haec dicuntur supernaturalia *quoad modum*, qui tamen modus se tenet ex parte actionis non ex parte effectus: et supernaturalia appellantur et sunt, quia non sunt in potestate naturae. Deinde aliquid supernaturale vocatur *quoad rem*, eo quod in ipsa essentia sua formaliter spectata rationem contineat boni super naturalis. Hoc porro, de quo nobis quaestio est futura, ita describere licet ex opposita notione boni naturalis, ut bonum supernaturale sit *quod perfectio quaedam est, sed neque ullam essentiam aut naturam rei cui inest constituit, neque ex ea essentia aut natura necessario consequitur, aut consequi concipitur, neque ab ulla natura exigitur ne sit frustra, neque ordine earum rerum continetur, quas aliqua natura exigit, ne sit frustra; et ideo quod in nulla potentia activa naturae continetur neque in passiva alicuius comparata cum aliis viribus creatis, quae exigant illud in ea efficere posse, ne et ipsae sint frustra, ut tandem proinde sit perfectio maior perfectione naturali*. Haec non demonstratione sed declaratione indigent. Dicimus primo supernaturale opponi naturali prout relationes *essentiales* dicit; spectamus enim utrumque secundum id quod proprium est essentiae utriusque: cum autem utrumque habeat ordinem ad naturam, cui unum est *naturale*, aliud *supernaturale*, comparanda sunt ergo ambo secundum id quod proprium est et essentialiter habitudini utriusque ad naturam. Dicimus naturam *cui inest*: hoc enim supernaturale bonum, quemadmodum et naturale, est in alio tanquam in subiecto, et est id quod alteri inhaeret: demonstrabimus autem suo loco nullam substantiam creatam esse posse supernaturalem. Dicimus deinde *supernaturale perfectionem* esse; id enim concipimus cum dicimus supernaturale; quare peccatum licet ad nullam naturam necessario consequatur, nec ab ulla exigatur, non ideo est *supernaturale*, sed *contranaturale*. *Supernaturale* autem est bonum naturae cui inest, eamque perficit. Sensus autem eorum quae sequuntur patet ex analysi superius instituta. Difficultas quidem oriri posset ex illo inciso: *neque ordine earum rerum continetur quae aliqua natura exigit*, si perperam

intelligatur. Dices enim immortalitatem e. g. esse bonum quod a spiritibus exigitur; et tamen ea est homini supernaturalis. Scilicet spiritus exigunt immortalitatem suam; immortalitas vero hominis nec a natura humana, nec ab ulla alia natura exigitur. Ideo addimus ea verba *ne sit frustra*; quia nimirum spectanda sunt ea bona quae aliqua natura sibi ipsi exigit. Posuimus vero illud incisum propter ea, quae superius diximus in p. III. in prima animadversione. Porro si ea omnia adsint et competant alicui bono quod naturam perficiat, illud bonum comparatum cum natura non erit naturale, quia constat proprietatibus oppositis ei quod est naturale, neque erit contranaturale; quia est perfectio rei: restat ergo ut sit supernaturale. Quod tandem, ut diximus, est perfectio maior naturalis. Sane cum supernaturale quoad rem sit perfectio aliqua, et sit supra exigentiam naturae, ideoque super ea quae exiguntur a natura, liquet ex ipsis terminis quod sit perfectio maior naturalibus. Hac tamen in re duplex excessus notandus est, genericus nempe et specificus; comparari scilicet possunt bona supernaturalia cum naturalibus tum ratione generis, prout nempe hoc est supernaturale, illud naturale, tum ratione speciei, prout nempe utrumque sunt hoc vel illud determinatum bonum. Si prima comparatio instituitur, quodvis bonum supernaturale est praestantius bono naturali; quia est praestantior ordo, cuius ratio habetur in hac comparatione; si altera comparatio instituitur, non est opus ut quodlibet supernaturale bonum sit ontologicè praestantius bono quovis naturali, sed satis est quod sit praestantius bono veluti parallelo in ordine naturali: sic vita immortalis praestantior est vita aliquando desiderata, licet non sit forte praestantior perfectione cognitionis. Quae tamen summum gradum obtinent in ordine supernaturali, quaeque, ut videbimus, dicuntur simpliciter supernaturalia, oportet perfectione excedere quaevis bona quae naturaliter debentur creaturis.

V. Quia vero ratio *naturalis* et *supernaturalis* eo potissimum continentur quod natura exigit, aut non exigit, ne ipsa eiusque vires frustra sint; ut haec notio magis declaratur, accipe doctrinam Martini De Esparza (Cursu Theologico Tom. I. L. IV. q. 6. a. 6.): capacitatem scilicet et vim naturae expleri quidem melius per dona gratuita superaddita, sed tamen expleri quoque *totam* per naturalia. Ita per humanam subsistentiam « expletur tota naturae humanae capacitas, ut non possit simul ullam aliam subsistentiam recipere. Unde suppositum divinum nobilius quidem et utilius explet capacitatem naturae humanae, non tamen magis aut maiorem capacitatis partem explet; ad eum modum quo vas idem nobilius impletur pretioso liquore, quam vili, sed non magis. *Quaecumque* igi-

tur eiusmodi sunt, quibus superadditis melius habeant praesistentia, et meliori effectu aut forma exercentur, iidem non superadditis, nulla nihilominus in praesistentibus virtus activa aut passiva vacua, otiosa et inutilis reddatur, ea sunt omnia gratiosa, et nullatenus debita. »

In promptu est tamen difficultas, occasione cuius res adhuc magis declarabitur. Scilicet si capacitati naturae sit satis utroque bono, tum eo quod dicitur naturale, tum eo quod dicitur supernaturale; cur non potius utrumque naturale dicitur, aut saltem cur natura non dicitur ex aequo indifferens ad utrumque, alterutrum enim necessarium est ne ipsa frustra sit? vel quaenam est norma distinguendi bonum naturale a supernaturali? Ante responsionem advertit quod bonum quidem naturale potest esse sine supernaturali, at hoc nequit esse sine illo, seu melius, sine perfectione illius. Sic in actibus supernaturalibus est tota perfectio vitalis actus et liberi, quae est a natura: sic in beatitudine supernaturali est tota perfectio cognitionis et amoris ac possessionis honorum, quae haberet locum in beatitudine naturali. Quod ergo excluditur per existentiam boni supernaturalis est existentia illius boni quod sit tantum naturale, actus e. g. pure naturalis, beatitudo pure naturalis, quae sunt res distinctae ab supernaturalibus sibi correspondentibus, licet haec contineant perfectionem eorum et aliquid amplius. Manet quidem semper eadem natura, aucta tamen bonis gratuitis h. e. elevata. Responso autem propositae difficultati haec est. Cum duobus modis potest fieri satis naturae, ne frustra sit, qui modi perfectione differunt, illud a natura exigitur *ne frustra sit*, quod est minus perfectum. Sane per modum perfectiorem habet non tantum *ne frustra sit*, sed et *ut melius sit*, per alium vero habet tantum *ne frustra sit*; unde illud prius potest ei utique convenire, sed nequit ab ea *exigi*. Imperfectiorem vero modum sibi sufficientem exigit; in hypothesi vero quod ille non detur, exigit alium aequivalentem, licet hic sit perfectior. Sub hoc ergo respectu potest concipi indifferentia naturae. Non est autem indifferentia aequa ad utrumque; quia modus minus perfectus exigitur *absolute*, ne frustra sit natura, alter non nisi *conditionate*, et quidem tantum quoad eam partem, quae aequivalet priori, non vero quoad excessum. Atque haec est norma quaedam generalis discernendi in bonis, quae complement capacitatem naturae, illud quod est naturale ab eo quod est supernaturale. Specialis vero norma erit, si collatis iis bonis cum natura, quoad unum sit potestas in ipsa natura, quoad alterum non sit: quod si erga neutrum sit potestas, sicut non est in natura humana generante ad animam humanam, tunc si aliquid exigitur, et unum tantum est possibile, illud

erit naturale; si plura sunt possibilia, si sint eiusdem ordinis, omnia erunt naturalia: si sint diversi ordinis, quod minus est et sufficit, illud erit naturale.

Thesis XXXII.

Haec omnia vero comprehenduntur hac formula, qua naturale dicitur esse quod est debitum naturae, supernaturale quod est indebitum naturae, ideoque gratuitum. Quamvis autem naturalia certo quodam sensu indebita et gratuita dici possint, proprie tamen bona supernaturalia dici debent indebita et gratuita naturae.

I. Quaecumque de bono naturali dicta sunt eo redeunt ut exigentia sit aliqua naturae erga illud; porro id est quod significatur cum dicitur aliquid *debitum naturae*. Non agitur de debito in ordine morali (quamvis et hoc debitum quoad aliquam creaturam locum habere possit), sed in ordine ontologico; illudque dicimus debitum alicui naturae, quod posita ea natura esse debet, vel quia cum ea necessario connexum, vel ut ea ipsa natura frustra non sit. Iam vero ut ea formula: *bonum debitum naturae*, rite intelligatur advertenda sunt haec duo: 1) naturam accipiendam esse non prout est hoc aut illud individuum, sub his aut illis determinatis conditionibus contingentibus, sed simpliciter prout est natura: 2) bona spectari relative ad naturam, ideoque eam praesupponi, ac supponi eius existentiam, quando comparantur cum ea bona realia.

Quemadmodum naturale bonum dicitur *debitum naturae*, ita supernaturale bonum dicitur *indebitum naturae*; quaecumque enim de eo declaravimus, ad hoc redeunt ut sint indebita. Perinde autem est *indebitum ac gratuitum*. Cum per $\tau\omicron$ *indebitum* negetur id quod per $\tau\omicron$ *debitum* affirmatur, ratio debiti negati eo modo accipienda est quo superius diximus rationem debiti accipiendam esse. Heic quoque rursus est advertendum quod terminus, quocum conferuntur bona ea, quae dicuntur indebita, est *natura simpliciter*, non natura iam aucta aliquo bono gratuito, propter quod et alia maiora exigere possit.

II. *Natura et naturalia* certo quodam sensu dici possunt *indebita et gratuita*. Nam a) ex simplici sua benignitate libere Deus naturam et naturalia creavit: quatenus ergo nulla erat exigentia creationis ex parte creaturarum, ea fuit ipsis gratuita: ideoque gratuita fuit primum institutio naturae, atque proinde gratuita collatio eorum omnium quae naturam creatam consequuntur. b) Quaedam bona li-

cet naturalia, sunt tamen huiusmodi ut si habeatur ratio speciei atomae, vel certorum individuorum, vel determinatae multitudinis, ea non debeantur naturae existentis. (Cf. praeced. Th. p. III) Verum 1) alio modo dicuntur indebita bona supernaturalia. Haec enim a) omnia dicuntur indebita, quia subiectum licet existat, non habet ius ad illa: naturalia vero omnia dicuntur indebita, quia subiectum defuit, quod illa exigeret: ideoque supernaturalia sunt indebita *positive*, est enim reale subiectum cui non debentur: naturalia *negative*. b) Elsi quaedam naturalia indebita positive sint, non sunt tamen simpliciter indebita: quia perfectio, quam conferunt, vel genericè vel specificè spectata (l. c.) est per se debita; quare non *formaliter* sed *materialiter* spectata, sunt indebita. At perfectio supernaturalium est per se indebita; ideoque ipsa *formaliter* spectata sunt indebita.

Hinc 2) *proprie* dicuntur *indebita et gratuita supernaturalia* prae naturalibus. Proprie enim tale esse dicitur aliquid quod tale est positive et per se seu formaliter, non tantum negative et materialiter: atqui sub ea ratione solis bonis supernaturalibus competit appellatio indebiti et gratuiti: ergo.

Et sane huiusmodi appellatio *indebiti* sive *grauti* usu catholico solis bonis supernaturalibus facta est, et fieri debet, cum simpliciter usurpatur. Huius rei testis est Augustinus in epist. 191. ad Sixtum e. 3. Cum ab istis (Pelagianis) quaeritur quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis praecedentibus meritis dari, quando anathematizabat eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, respondent: sine ullis praecedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus. Neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus ut essemus. Abiciatur a Christianorum cordibus ista fallacia. Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus (Rom. III, 24), quae creati sumus ut homines essemus, sed quae *iustificati*, cum mali homines essemus ».

Thesis XXXIII.

Habita ratione excessus supra naturam, supernaturale bonum distingui potest in id quod dicitur supernaturale simpliciter et in id quod proprio nomine praeternaturale vocatur.

I. Divisio tradita bonorum in *supernaturale et naturale* est adequata; est enim per contraria non habentia medium; quodlibet enim bonum vel exigitur, vel non exigitur a natura; vel est in eius potestate, vel non est; vel est debitum, vel gratuitum. Verum ipsum supernaturale subdividi rursus potest, et quidem secundum ipsam

rationem *supernaturalis boni*; quemadmodum *vivens*, quod opponitur *non viventi*, subdividitur deinceps secundum ipsam rationem vitae in plures species. Sane bonum indebitum naturae tale 1) esse potest, ut sit quidem indebitum naturae cui confertur, neque exigatur ab universa natura, h. e. universa natura non exigat ut illud bonum illi naturae confertur, neque sit in potestate alicuius causae naturalis istud bonum illi naturae conferre, sit tamen bonum, quod ordinem totius naturae per se non excedit: exemplum sit immortalitas et immunitas a concupiscentia concessae homini: haec enim bona, si cum universa natura comparentur, continentur eius ordine; sunt enim quibusdam naturis, puta spiritibus puris, naturalia. 2) Bonum indebitum naturae tale esse potest, ut neque ea cui inest, neque alia ulla natura illud sibi comparare aut exigere possit, perfectionem proinde conferat, quae sit extra ordinem totius naturae: exemplum eius sit visio beatifica. Haec altera species, quia perfectius participat rationem generis, dicitur *supernaturale simpliciter*: prior vero, ut proprio nomine discernatur ab illa, eiusque minor excessus supra naturale significetur, dicitur *praeternaturale*. Quidam autem theologi huiusmodi supernaturale vocant *supernaturale secundum quid*. Cf. Franciscum De Lugo L. I. D. VIII, c. 1. Ripaldà L. I. D. I. n. 23.

II. Divisioni a nobis modo traditae consona est ea, quam exhibet Suarez De Hominis creatione L. III, c. 42, licet distinguat non supernaturale bonum, ut nos fecimus, sed naturale. Ita enim ipse primam divisionem instituit: ut nempe aliud sit bonum *supernaturale*, aliud *naturale*: illud vero sit quod elevat hominem ad eum finem et ad eas operationes, quae sint *supra totum ordinem naturae*: istud vero dupliciter rursus distinguitur. Aliud est enim donum perficiens naturam in ordine suo, quod nempe ei debitum est tanquam aliquid quovis modo consequens naturam: aliud est donum perficiens quidem naturam in ordine suo, nec tamen illam consequens, nec illi debitum. Prius est id quod nos dicimus *naturale*, alterum, quod dicimus *praeternaturale*. Conceptus proinde boni *praeternaturalis*, vel *supernaturalis secundum quid* penes Suarez huc redit, ut bonum sit indebitum naturae cui confertur, eam tamen perficiat in ordine suo, sit nempe bonum, cuius iam initium et praeformatio in ipsa natura continetur; sique proinde complementum et absolutio huius boni inchoati; complementum tamen et absolutio, cuius perfectio in illa natura neque ab ipsa, neque ab ulla alia exigatur, neque sive ipsa sive ulla alia natura possit eam perfectionem conferre. Ex quo intelligis huiusmodi bonum praeternaturale differre ab eo, quod diximus in Th. praeced. contineri ordine eorum bo-

norum, quae a natura exiguntur. Ista enim bona non afferunt naturae alicui perfectionem specie diversam ab ea, quae eidem debetur, licet ea absolute spectata specie inter se differunt; non afferunt proinde perfectionem *formaliter* indebitam naturae: at bona praeternaturalia afferunt naturae perfectionem specie diversam, licet aliqua inchoatio eorum in ea natura sit. Quamvis enim e.g. vita sit quaedam inchoatio immortalitatis, quia vivere aliquantulum est initium quoddam $\tau\epsilon\omega$ semper vivere; tamen immortalis vita in ratione boni specie differt a vita mortali; includit enim negationem mortis, quam negationem altera excludit: porro contraria specie differunt.

Iam vero Suarezii conceptus desumptus est a posteriori ex consideratione eorum bonorum, quae nos dicimus *praeternaturalia*; huiusmodi enim bonorum, quae ordinem totius naturae non excedunt, quaedam inchoatio reperitur in ea natura, cui conferuntur, ideoque eam perficiunt in ordine suo. Quare conceptus Suarezii et noster conveniunt *materialiter*. *Formaliter* quidem hi duo conceptus per se differunt: nihilominus quia ratione habitae eorum bonorum quae naturae alicui conferri possunt et sunt indebita, et tamen non sunt supra totum ordinem naturae (sub quo extremo conceptu Suarez quoque bonum simpliciter supernaturale representat) liquet hos conceptus ita se excipere ut quibus unus convenit, et alter conveniat; haberi potest uterque conceptus tanquam exprimens id quod est proprium alterius, seu quod ad alterum consequitur: ideoque tandem censendi sunt in idem redire.

III. Constat ex dictis utriusque membro seu speciei, in quas divisum est genus *supernaturale*, opponi *naturale*, illud scilicet quod Thesi praeced. definivimus. Nihilominus si non amplius totum genus, sed nobiliorem speciem, hoc est *supernaturale simpliciter*, comparas cum eodem naturali, tunc reperies *praeternaturale* se habere veluti medium inter *supernaturale* et *naturale*. Est enim *supra* naturale, et *sub* supernaturali. Atque ita pro diversa considerandi ratione licebit *praeternaturale* modo naturalibus bonis, modo supernaturalibus accensere: proprium est enim mediis de utroque extremo aliquid participare. Sane si ad discernendum supernaturale a naturali adhibeas hanc normam, nempe quod est *indebitum*, praeternaturale referendum est ad supernaturale: si vero hanc alteram adhibeas, nimirum quod *totius naturae ordinem excedit*, praeternaturale ad naturale reiciendum erit. Cf. Bellarminum De gratia primi hominis c. 3.

SCHOLIUM. Subiectum boni supernaturalis est natura creata cuiusque facultates. Solent quidem inter entia supernaturalia recensere Theologi primo loco Deum, eumque appellant *supernaturalem ex-*

cellentia dignitatis; quippe qui superat dignitate omnem substantiam creatam et creabilem. Cf. Ripalda loco superius citato n. 24. Liqueat autem Deum appellari hac ratione supernaturali, quatenus eius natura comparatur cum *ceteris naturis creatis*, easque infinite excedit. Ex quo consequitur dicendum potius esse quod sit Deus *supra naturam* quam *supernaturalis*: haec enim appellatio, ut diximus, illis fit quae excedunt quidem naturae ordinem, sed alicui naturae inhaerent. Ex excessu autem Dei super omnes naturas fit ut eius assecutio, ut in se est, sit creaturae rationali supernaturalis; haec autem *supernaturalis* dicitur comparata cum existentia naturae cui eadem inest, et cui nihilominus indebita est, secus ac alia, quae cum eidem naturaliter insint et debita sint, dicuntur naturalia.

Thesis XXXIV.

Reicienda est sententia, quae ex Baii doctrina colligitur, nimirum ea esse non supernaturalia, sed naturalia censenda, quae nativitatem seu originem comitantur; atque indignitatem positivam naturae postulatur ut dona quaedam, cuiusmodi est gratia sanctificans et visio intuitiva Dei, sint creaturae intelligenti supernaturalia.

I. Baius terminos hos *naturale, supernaturale, gratuitum* accipit eadem generica significatione qua sua aetate usurpabantur a catholicis, nempe prout significant donum aliquod vel debitum vel indebitum naturae. Constat id ex eius propositionibus non paucis. Ait enim propositi. I. « Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia »: et 24. « A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad pelagianismum reicienda est, hominem scilicet ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus »: et 26. « Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio »: et 78. « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio »: et 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret ». Ex quibus liquet Baium negasse quidem esse supernaturale id quod catholici theologi supernaturale esse affirmabant; ipsamque aliam normam praestituisse pro dignoscendis supernaturalibus bonis:

huiusmodi tamen terminis *supernaturale, gratia, naturale* eandem notionem supponisse cum catholicis, ut nempe sit supernaturale et gratuitum, quod est indebitum naturae, naturale e contrario. Quo factum est ut cum non easdem res in ordine supernaturalium recenseret ac catholici, illud ipse negaret esse supernaturale, quod illi esse tale affirmabant. Quaestio ergo cum Balo eiusque aseculis est proprie circa ea quae recensenda sunt sub genere supernaturalium: et quia solutio huius quaestionis pendet a norma quae praestituatur, qua bona supernaturalia a naturalibus discernantur, qui in ea quaestione dissentiunt, necesse est ut in hac quoque dissentiant, ut facit Baius eiusque propagator Jansenius, quibuscum ex ordine modo disputare oportet.

II. Itaque Baius doctrinam expositam in-thesi tradit in libro de prima hominis iustitia ec. 5. et 6. Nam c. 5, ait: « Dnobis modis naturale dicitur (hominis), altero simpliciter et proprie, quia videlicet ad primam illam non sensu cognitam, sed Scripturis sacris nobis traditam divinae institutionis nativitatem pertinet, ut anima, corpus et cetera quae nobis in prima creatione donata sunt, sine quibus aut esse non possumus, aut malo non caremus. Altero improprie et analogice, quia ad posteriorem hanc nativitatem ex transgressione praeecepti corruptam pertinet, ut libido, mors et aliqua mala, quae per peccatum in naturam humanam invecta, generatione traiciuntur in posteros ». Inde c. 6. « Cum itaque constet iustitiam, de qua disserimus, sic primo homini in sua creatione fuisse collatam, ut et in illo esset, et in omnes eius posteros generatione transiret cum ceteris animae eius corporisque dotibus, eo modo quo peccatum originis cum suis effectibus transit in omnes Adae posteros, ob quod natura filii irae dicitur; mirum est quomodo quisquam dubitare queat an sit homini naturale quod tam evidenti ratione probatur ad primam eius nativitatem debere pertinere ».

III. Hanc normam Baius proponit et tnetur, ut plenus, sicut ipse ait, intelligatur doctrina quam capitibus praecedentibus eiusdem libri vindicaverat, nempe iustitiae donum per inhabitantem Spiritum Sanctum fuisse primo homini naturale, quia sine hoc dono natura fuisset mala. Argumenta, quibus utitur in confirmationem suae sententiae, ex auctoritate et ratione petuntur. Nam 1) Augustinus L. I. Retraet. c. 10. expendens libros duos a se conscriptos de Genesi contra Manichaeos, ait « In eo quod dixi nullum esse malum naturale, possunt (Pelagiani) quaerere latebram, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitus condita est. Ipsa enim vere ac proprie natura hominis dicitur: translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam qualis nascitur homo ». Et in

libro de Natura et gratia contra Pelagianos c. 65. « De qua natura item paulo post dixi (Lib. III. de libero arbitrio c. 19): etiam ipsam naturam aliter dicimus cum proprie loquimur naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabiliter factus est, aliter istam, in qua ex illius damnati poena et ignari et carni subditi nascimur: iuxta quem modum dicit Apostolus: fuimus et nos naturaliter filii irae ». Similia habet Retract. L. I. c. 13. Et in lib. de Spiritu et lib. c. 27. « Hoc agit Spiritus gratiae ut imaginem Dei in qua *naturaliter* facti sumus, instaret in nobis ». Item pariter Prosper contra Cassianum c. 18. docet quod si liberum arbitrium Adami auxiliante Domino non deserisset, possent in nobis *quae naturaliter acceperat*, perseverare. Et Leo Magnus Serm. 1. de Ieiunio ait: « hanc esse *naturalem* nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendet. Ad quam quotidie nos reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo ». Et Fulgentius De Incarn. et grat. c. 23. Potest Deo donante homo in Deum *naturaliter* credere; contra quippe naturam hominis est quod in Deum non credit ». Rursus 2) idem Augustinus L. IX. De Genesi ad Literam c. 47. docet supernaturalia eorum numero censenda esse, quae mirabiliter secundum rationes in Deo absconditas nobisque ignotas, rarissime et cum omnium admiratione fiunt; naturalia vero putanda esse quae secundum causas rebus creatis inditas regulariter et modo nobis manifesto generantur. Iam vero « iustitia, ait Baius ibid. c. 9. numeranda est in his posterioribus bonis. De qua re non video quis unquam dubitare potuisset, si Adam in sua integritate permanens huic subtili distinctioni naturalium a supernaturalibus in primo homine, imo aperto errori, peccando occasione non dedisset ». 3) In prompta est etiam ratio, quia « poena non in ablatione boni supernaturalis, sed in privatione bonorum naturalium consistit »: atqui propter peccatum privatus fuit homo bonis in ipsa origine acceptis; ergo bona quae originem comitantur debent dici naturalia.

Verum certe falsa est haec norma. Sane 1) adversatur sententiae communi Patrum et Theologorum; nam ea constituta, negandum foret esse dona supernaturalia omninoque gratuita quaedam, quae citra ullam dubitationem habentur a Patribus et Theologis ut supernaturalia et gratuita; cuiusmodi sunt gratia sanctificans, ius ad visionem Dei et similia (Th. XXX). Hinc Baius quidem negat Angelis et hominis adhuc integri merita *recte vocari gratiam* (prop. 1. ex damnatis). Quia (ait. Lib. de meritis operum c. 4.) priora illa merita, quae homo habuisset si in iustitia perseverasset, fuerunt primae creationis munera, non quidem aliorum praecedentium

operum meritis reddita, sed nec mali quippiam merentibus in sua creatione donata; ideo iuxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratia; quo fit ut vita aeterna tantum merces meriti non etiam gratia debeat nuncupari. » At non ita certe existimantur Patres. Synodus enim Arausiana II. contra reliquias Pelagianismi habita, inter sententias Patrum a se probatas, c. 19. haec habet: « Natura humana etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuvante, servaret. Unde cum *sine gratia Dei salutem non possit custodire* quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? » Merita ergo Adami fructus erant gratiae, vitaeque aeternae proinde eis reddita vel reddenda gratia quoque debuit nuncupari.

2) Cum ea norma necessario nexae sunt propositiones Baianae à Summis Pontificibus damnatae, quas in Thesi XXX. retulimus. Ergo et ea norma falsa sit oportet.

3) Et re quidem vera probari ea norma non potest, qua tanquam character boni naturalis stabilitur id, quod per se est indifferens ad utrumque bonum, naturale et supernaturale. Etenim, quandoquidem certum est bona quaedam esse per se supernaturalia, quae naturae conferri possunt, ut ipse Baius concedit (De prima hominis naturae conferri possunt, ut ipse Baius concedit (De prima hominis iustitia c. 40), tenendum quoque est ea posse conferri naturae quocumque in instanti suae existentiae, et quocumque in instanti conferantur, tamen semper suam propriam essentiam et dignitatem; essentiae enim sunt immutabiles, ac proinde manere supernaturalia. Possunt ergo et poterunt haec dona conferri in primo quoque instanti existentiae hominis, et simul rationem propriam doni supernaturalis retinere. Igitur haec simultanea existentia naturae incipientis et donorum ei collatorum, ad discernenda bona naturalia a supernaturalibus conducit nihil. Quare perperam permisit quae- stio duplex, *facti* nimirum, et *debiti*, et a facto ad debitum ineptissime fit progressus.

IV. Argumenta vero allata facile dissolvuntur. Quoad auctoritates enim considerandum est primo quod aliud prorsus sit, *posse propter simultaneitatem cum origine naturae* dici naturalia ea dona, quae ex se vel supernaturalia vel praeternaturalia sunt et existimantur; eo quod *naturale quoque certo quodam sensu dici potest quod cum origine concertum est*: et aliud, *oportere dona quaevis propter simultaneitatem cum origine dici naturalia eo sensu ut secundum essentiam suam sint naturalia*, h. e. debita naturae. Nam prius respicit aliquid extrinsecum ipsis donis collatis, speciale nempe tempus, quo conferuntur, est praeterea tantum affirmans, non negans aut exclusivum. Iam vero hoc inter Baium et Patres intercedit

discrimen, quod hi iuxta priorem modum tantum sint locuti, Baius vero alterum propugnauerit. Quod autem eo priore tantum sensu appellauerint Patres naturalia dona, quae Adam accepit et amisit, ex eo manifeste probatur quod ii eadem dona per se considerata comparata cum natura, prout natura est, affirmant esse gratuita et supernaturalia (Th. XXX). Quae quidem sententia ex ipsis verbis Augustini ex Baio allatis colligi potest. Ea enim distinctio duplicis naturae ut alia fuerit qualis exstitit in Adamo, alia sit qualis nunc nascitur, et ita ut ea *proprie*, haec *translate* dicatur *natura*, non eo spectat ut significet aliam esse ontologicè naturam humanam nunc ac fuerit in Adamo; quod absurdum est atque ab Augustini doctrina alienissimum. Advertendum est ergo 1) quod natura *proprie* dicitur quae est *qualis esse debet*. Id autem dupliciter accipi potest: nempe qualis esse debet ratione essentiae suae, et qualis esse debet *ex institutione libera creatoris*. Item naturale *proprie* dicitur *quod esse debet in natura*, atque id rursus pariter dupliciter: nimirum quod esse debet *secundum exigentiam rerum*, et quod esse debet *secundum institutionem liberam creatoris*. Advertendum est 2) quoad naturas quae propagantur generatione, quod, quia generans nequit excellentius se generare, sed si perfecta est generatio, repetitur semper primitivus typus, qui exstitit in primo habente eam naturam; natura cuiuscumque rei generatae dicitur esse *proprie* id quod eadem fuit ab initio. Quia vero 3) ab initio natura aliqua e. g. humana potuit existere *talis* non solum propter ea, quae ex se ipsa exigat, sed et propter alia, quae Deus libere contulerit, et voluerit semper esse cum natura: hinc cum natura humana dicitur esse *proprie* id quod fuit ab initio cum condita est a creatore, duplici sensu id accipi potest iuxta primam animadversionem. Scilicet natura humana est *proprie* id quod fuit ab initio vel habita tantum ratione essentiae suae, vel habita insuper ratione institutionis liberae creatoris, h. e. habita ratione totius naturae in concreto qualis historice a Deo processit. Si habeatur tantum ratio essentiae, eadem modo nascitur natura humana, quae fuit in Adamo: si vero praeterea habeatur ratio institutionis liberae Dei, et historice res spectetur, qualis nempe fuerit natura humana et esse debuert vi illius prioris institutionis; natura humana modo non nascitur ea, quae condita est; et modo non est *proprie* ea natura, quia non est qualis esse debet.

Huc ergo redit Augustini sententia: natura humana modo non nascitur qualis esse debet vi primitivae illius institutionis, quae ab origine exstitit, et quae typus eius praestitutus est; quia caret iis bonis, quae ex divina institutione deberet habere. At hoc positò

adhuc integra manet quaestio: ntrum ea dona fuerint debita naturae, ideoque necessario collata et naturalia, an fuerint indebita, gratuita et supernaturalia. Iam vero Augustinus non illud primum, sed hoc alterum affirmat: docet enim idem quod ea dona quae ante peccatum collata fuerunt Adamo, quaeque modo nobis per Christi merita conferuntur, fuerunt ex aequo ipsi Adamo gratuita veraque gratia. Cf. can. 19. Conc. Araus. superius citatum, qui totidem verbis sumptus est ex Augustini epist. 186. al. 106. c. 11. Et in lib. de Natura et Gratia c. 48. ait. « Si de integra et sana hominis natura (Pelagius) loqueretur, quam modo non habemus, spe enim salvi facti sumus, nec sic recte diceret quod non peccare nostrum tantummodo sit (in solius nempe naturae viribus situm), quamvis peccare nostrum esset; nam et tunc esset adiutorium Dei, et tamquam lumen sanis oculis, quod adiuti vident, se praerberet volentibus. » Istud porro adiutorium illud est, quod contra Pelagianos gratuitum prorsus defendit.

Porro cum Augustinus contra Manichaeos negavit ullum esse malum *naturale*, accepit *naturale* sensu manichaeo, h. e. cum natura, citra praeservationem liberi arbitrii, necessario consertum. Idem vero Augustinus cum catholicis profitebatur esse aliquid malum, nempe peccatum originale, quod a peccato primi hominis originem duens propagatur cum natura, quae nascitur eo vitata, quod proinde dicitur malum *naturale*. Quia vero Pelagiani dogma peccati originalis ex eo quoque capite impugnabant, quod nullum sit malum *naturale*, et proinde potuissent arguere ad hominem contra Augustinum, qui negaverat malum esse *naturale*; advertit Augustinus se negasse malum *naturale*, h. e. connexum cum ea natura, quae exstitit ante hominis quamcumque operationem, quae nempe a Deo immediate processit, hoc enim malum esset malum *naturale* sensu manichaeo: non vero negasse malum *naturale*, quod nempe propter liberam actionem hominis connexum est modo cum natura, quae ex eo primo parente procedit. In appellatione proinde naturae spectavit Augustinus statum eiusdem, qualis nimirum fuit ab initio ex institutione Dei, qualisque esse deberet, et qualis nunc est propter peccatum primi hominis. In eundem sensum Bernardus Serm. 16. de diversis ait. « Non sic dicimus bona naturae quasi gratia non sint, sed ideo quod ipsi naturae quodammodo ingenta et complantata fuerint antequam fieret peccatum illud, quod non solam personam infecit, sed etiam naturam. »

Hinc intelliges quo sensu idem Augustinus alique Patres dona, quae supernaturalia in se sunt, dixerint *naturalia*, quia nempe cum origine naturae conserta, et quia ex divina institutione semper

debuissent esse cum natura, et cum ea propagari. Eadem ratione dicitur, nos in imagine Dei (quae est per gratuita dona) esse *naturaliter* factos, quia in ea ab origine facti sumus, eaque esse deberet, utique ex gratuita largitione Dei, patrimonium cuiusque hominis cum nascitur.

Fulgentii vero sententia vel respicit potentiam eam, quam dicimus obedientialem, de qua paulo post loquemur; vel *naturale* accipit pro *convenienti*, cui opponitur *id quod est contra naturam*: illud porro et supernaturale esse potest.

Ad alterum Augustini testimonium petitum ex L. IX. de Genes i advertimus ibi Augustinum discernere miracula ab effectibus naturalibus: nimirum « omnis iste naturae usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas... et elementa mundi huius corporei habent definitam vim, qualitatemque suam... Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditae atque concreatae. Ut autem lignum de terra exeisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla sine terra et aqua repente floreat... ut asina loquatur... dedit quidem naturis creatis ut ex iis fieri haec possent, verumtamen alio modo dedit, ut non hoc haberent in motu naturali, sed in eo quod ita creata essent ut eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret. Habet ergo Deus in se ipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit. » Scilicet distinguit Augustinus miracula ab effectibus naturalibus, eo quod hi sint in potestate naturae, illa in potestate solius Dei. De raritate miraculorum prae effectibus naturalibus heic nihil habet, quemadmodum habet De Civ. Dei L. X, c. 42. Cum ergo ex ratione, qua diximus, disceverit miracula ab effectibus naturalibus, iure inter miracula recenset quoque gratiam inquires: « ibi est gratia, per quam salvi fiunt peccatores. » De qua tamen gratia obiter tantum loquitur occasione ex eo accepta quod de miraculis in materia corporali disseruerit, quae sunt supra potestatem naturae. Haec autem Augustini doctrina adversatur directe sententiae baianae.

Ad ultimum ex ratione desumptum, negandum est poenam necessario consistere in privatione bonorum naturalium; sed sufficit ut poena sit privatio *bonorum*, quae sive ratione exigentiae naturae, sive gratituae collationis *propria fuerint, et debita*. Quia vero et haec, ut iam diximus, possunt certo sensu vocari et vocata sunt identidem naturalia; hinc et in iis valere potest, quod generatim Augustinus docuit, malum (cuiusmodi est poena) esse privationem *naturalium bonorum*.

V. Baius, ut vidimus ea bona quae catholici supernaturalia vo-

cant, quaeque Adamus accepit et peccando amisit, voluit esse naturalia: eiusque ratio est quia sine his misera et mala esset natura. Quia vero bona, quae per Christum nobis conferuntur, negare non potuit indebita esse et supernaturalia, quae tamen non sunt diversa ab iis donis, quibus instructus fuit Adamus; hanc rationem excogitavit, quia supernaturalitatem eorum bonorum tueretur: nempe ea *naturalia* quidem esse *comparata cum natura innocente, supernaturalia vero comparata cum natura peccatrice*. Idcirco non per se supernaturalia esse, sed *secundum quid*, ratione modi quo obtinentur, « eo modo quo sanitas corporis gratia est, cum neque viribus naturae, neque opera medici reparari potest, sed sola creatoris beneficentia redditur; non quod res sit supernaturalis, aut naturali hominis integritati superaddita, sicut prophetia, gratia sanitatum, et alia multa, quibus sine malo caremus. Sed quod *ipse efficiendi modus* atque ratio secundum naturam operandi consuetudinem in rebus creatis non invenitur, sed ex superiore quodam et insolito atque oculo divinae sapientiae consilio proveniat (De prima hominis iustitia c. 40). » Itaque haec bona secundum Baium, comparata cum natura peccatrice sunt supernaturalia quidem, sed *secundum quid*; quia « quamvis secundum naturam sit hominis, ut bonae sit voluntatis, vitium tamen, quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturae superat virtute sed gratiae » ibid.

Nunc impugnamus tantum illud doctrinae caput, quo statuitur indignitatem positivam, hoc est per peccatum inductam, esse unicam rationem cur ea bona sint supernaturalia. Negamus scilicet exigi indignitatem positivam ut iis donis constet ratio boni supernaturalis et gratuiti. Sane 1) iuxta doctrinam catholicam, quam nedom Patres et Theologi exhibent (Th. XXX), sed et ipsa ratio persuadet (Th. XXXI. seqq.), supernaturale comparatur cum natura per se spectata, prout nempe natura est, non prout est peccatrix. Etenim oppositio inter naturale et supernaturale ea est quae intercedit *postquam* inter et *γρη*, quae *γρη* est supra naturam, vim naturae excedit, naturam supra se ipsam elevat, quia natura est serva, ideo quia creata. Atqui natura talis est per se ipsam citra ullam turpitudinem peccati; ergo.

2) Certum est Angelis collata fuisse ea dona quae Adamo collata sunt; eademque fuisse illis supernaturalia et gratuita; atqui in eis nulla fuit ante collationem indignitas positiva. August. De Civit. Dei L. XII, c. 9. « Istam bonam voluntatem (Agorum) quae fecerat nisi ille, qui eorum bonam voluntatem, idest cum amore casio, quo illi adhaerent, creavit simul in eis et condens naturam et

largiens gratiam. Unde sine bona voluntate hoc est Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est... Confitendum igitur cum debita laude creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis dici posse, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis». Fulgentius L. II, ad Trasimundum c. 3. «Non alia gratia stantem Angelum ex ruina ipotuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia, operata in hoc ut surgeret, in illo ne caderet.» Bernardus in Cant. Ser. 22. «Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut istum a captivitate defendit; et hac ratione fuit aequae utriusque Redemptor, solvens illum et servans istum.» Ergo ut dona huiusmodi sint supernaturalia et gratuita non requiritur indignitas positiva.

3) Augustini doctrina est unionem hypostaticam naturae humanae cum Verbo gratiam fuisse pro humana natura, eamque gratiam, quae exemplar esset gratiarum ceterarum quae conferuntur aliis. De Praedest. Sanctor. c. 15. «Est praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei praecedentibus meritis natura humana quae in illo est comparavit... Appareat in nobis in nostro capite ipse fons gratiae, unde secundum uniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus: de eo spiritu et hic renatus, de quo et ille natus.» Iis similia habet De Bono perseverantiae c. ultimo. De Corrupt. et grat. c. 10. Enchirid. c. 36. Cui doctrinae subscribit Fulgentius De Incarn. et grat. c. 40. Atqui natura humana in Christo nulli indignitati positivae fuit obnoxia: ergo.

4) Huc facit canon 19 Synodi Arausianae in praeced. parte descriptus, quo docentur gratiam habuisse quoque locum in natura integra; atque huc facit damnatio 4. propositionis Baii «Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratiae», atque damnatio 21, 23, 24, quibus negatur supernaturalia fuisse ea dona quibus homo primus fuit exaltatus in consortium divinae naturae, et in Dei filium adoptatus.

Argumentum autem Baii, quia nempe non potuit condi a Deo natura misera et mala, sine his vero donis talis esset humana natura, tunc expendemus cum directe demonstrabimus huiusmodi dona esse prorsus supernaturalia et gratuita, atque potuisse sine illis creari hominem.

Thesis XXXV.

Falsam pariter sententiam defendit Iansenius, cum docet illud esse bonum supernaturale, quod meritis operum non debetur, etsi naturae ipsi debeatur.

I. Ita Iansenius De Statu naturae purae L. I. c. 20, quaerens: quomodo bona voluntas, in qua condi debet creatura rationalis, sit gratia; ut id explicet et persuadeat, haec habet: «Considerandum est gratiae propriissime dictae solummodo, secundum doctrinam Scripturarum et Augustini, repugnare opus creaturae, cui illa debeatur. Hoc est enim quod Apostolica doctrina tradit: si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Qua de causa sexcentis locis Augustinus sola opera velut gratiae destructiva submovet e gratuita vocatione et iustificatione peccatoris: si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata: epistolae ad Sixtum... Ex eadem illa radice saepe docet etiam naturam esse veram gratiam, hoc est gratuitum donum, quia nullis operibus retributa est, nec unquam ex alio capite gratiam esse docet, sicut frequenter docet, quam ex eo quod homo nec eam facere potuit, nec aliquid operari, quo Deum vel invitaret ut faceret... Hinc est quod Augustinus non minus confidenter gratiam vocat id quod alteri dono Dei connaturaliter in rebus sive naturalibus sive supernaturalibus debetur, ut Scholastici loqui solent, quam ipsum primum cui allerum connaturale est, dummodo nullum operis aut voluntatis creatae meritum interveniat, per quod, beneficentia donantis provocata, ratio gratuitae gratiae perimatur. Nam aequae gratuitam gratiam nuncupat quod *sentimus*, et quod *intelligimus*, quam quod *homines sumus*.» etc... Excludit ergo Iansenius a gratia *debitum ethicum*, sed cum eadem componit *debitum physicum*.

II. Atqui sententia haec nedum in se est falsa, sed eidem Augustino certissime repugnans. Sane falsa est. Etenim quod naturae debetur; sine quo natura esse non potest, est naturale, non supernaturale. Naturale est enim quod necessario nexum est cum natura, quod ab ea exigitur ut non sit frustra: atqui tale est id quod supernaturale esse et gratiam propriissimam dictam contendit Iansenius. Et re quidem vera supernaturale, ut ponitur, pugnat cum debito operum, ideo ipsum repugnat deberi operanti: atqui debitum naturae, cum est aliquid consequendum per opera, est quoque debitum naturae operanti, h. e. operibus eius: finis autem est consequendus per opera; ergo repugnat ipsum deberi naturae et non deberi ope-